



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quàm extra corpus Juris Canonici vagantur ...

Fargna, Francesco de

Romæ, MDCCXVIII

Casus VII. Argumentum. Jus nominandi ad Cappellanas merè Laicales an
vendi, & emi possit absque Simonia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72203)

modi qualitatis non admittuntur ad probandam simoniam, & omnino invalidi sunt ad adumbrandam famam, & opinionem Accusati de tali crimine, juxta *Text. in cap. cum pater de accusat.*, ibique *Abb. num. 1.*, *Anan. Butr. num. 1.*, *Barb. num. 1.*, *Gonzal. num. 5.*, *Farinac. de Testib. qu. 53. num. 3. 7. & seqq.*, *Pignatell. consult. 44. num. 21. & 26. tom. 10.*, *Rot. decis. 358. num. 2. & seq. par. 2. rec.*

14 Reflectendo verò ad dictum horum Testium, isti nil aliud testantur, nisi quòd Titius paulò post præsentationem donaverit uni ex præsentantibus certa vasa argentea, ex hac autem attestazione non solum concludi, sed nec fumus ullus simoniæ desumi potest; Ad hunc enim effectum non sufficit, quòd Testes deponant super simplici donatione, sed requiritur, quod probent, & testentur de donatione qualificata, nempe de mutua causalitate inter donationem, & præsentationem, seu quod donatio, & præsentatio se invicem causaverint, nimirum, quòd donatio vasorum argenteorum fuerit facta à Titio in præmium præsentationis, & quòd præsentatio fuerit facta à Patrono in præmium dictorum vasorum, cum ex simplici donatione absque hac qualitate, seu absque hac mutua causalitate deduci non potest simonia; Ratio est quia, ut excludatur delictum simoniæ semper faciendæ est interpretatio, quòd munera, quæ subsequuntur actum præsentationis proveniant ex mera liberalitate, & gratitudine præsentati, *Lotter. de re benefc. q. 24. nu. 47. & seq. lib. 3. Pignatelli consult. 44. n. 3. tom. 10. Card. de Luc. de Benefc. disc. 127. n. 5.* Etiam si munera fuerit vicina, & proxima præsentationi, cum ex simplici vicinitate actuum non inducatur Simonia. *Rot. decis. 358. num. 11. par. 2.*, & *decis. 93. num. 19. par. 4. tom. recent.*, & *decis. 171. num. 9.*, & *seq. coram Puteo.*

15 Probatur autem mutua causalitas inter donationem, & præsentationem, seu quòd donatio, & præsentatio se invicem causaverint, si probetur antecedens pactum, & conventio donandi vasa argentea in præmium præsentationis, & præsentandi in præmium donationis, cum enim pactum, & conventio sit forma, qua constituitur simonia, absque hujusmodi

pacto ex his, quæ postea sequuntur simonia non probatur. *Gloss. in cap. sua nos de simonia Mobedan. dec. 2. de simon. Lotter. de re benefc. lib. 3. quest. 29. num. 42. & seqq. Pignatell. consult. 44. nu. 3. & 5. tom. 10. Rodoan. de simon. par. 3. cap. 24. num. 1.*

16 Probatur etiam si non concludenter, saltèm præsumptivè ex qualitate personæ donantis, & præsentantis, ex qualitate muneris, & tempore donationis; Si enim persona donans sit subditus, aut pauper, & præsentans sit Superior, aut dives, avarus, & consuetus non præsentare sine præmio, & munus sit magni valoris, & non sit consuetum dari ex lege fundationis, & donetur tempore quo præsentans habeat necessitatem ejusdem muneris, præsumitur mutua causalitas inter donationem, & præsentationem; secus si persona tam donantis, quam præsentantis sit dives, aut donum sit modici valoris, & detur non instante necessitate, aut sit consuetum dari ex lege fundationis, juxta *Text. in cap. Et si questiones de simon. ibique gloss. Abb. n. 3. Barbos. Gonzal. n. 3. Rodoan. de simon. par. 3. cap. 24. num. 20.*, & *cap. 25. num. 8.*

17 Cum igitur Testes inducti per Cajum non probent donationem dictorum vasorum qualificatam hujusmodi qualitate, mutua causalitatis, & sint inimici Titii accusati de simonia, & Cajus sit hujus competitor; Sequitur, quòd accusatio ejusdem Caji sit calumniosa, adeo ut Episcopus hac non obstante possit Beneficium conferre Titio taliter accusato in concursu Caji compræsentati juxta *Lotter. de re Benefc. lib. 2. q. 31. nu. 151.*, & alias auctoritates superius relatas §. *Præsentatus ad Beneficium.*

ARGUMENTUM.

Jus nominandi ad Cappellanas merè laicales, an vendi, & emi possit absque simonia?

SUMMARIUM.

- 1 Jus nominandi ad Cappellanas merè laicales cum onere Missarum, est mediata annexum rei spirituali.
- 2 Simonia committitur etiam in spiritualitati annexis.

Ven-

- 3 *Venditio Officii Custodis, & Sacristæ est simoniaca.*
- 4 *Simonia committitur in omni administratione rei Ecclesiasticæ.*
- 5 *Vendere jus nominandi ad Cappellanas merè laicales, aut adolescentes in Collegio, aut puellas pro consecutione dotis non est verè, & propriè actus simoniacus, sed est actus irreligiøsus, impropriè, & similitudinariè simoniacus, & improbandus, & num. 8.*
- 6 *Jus nominandi ad Cappellanas merè laicales est mediatè annexum rei spirituali per accidens, & non per se.*
- 7 *Simonia propriè non committitur in annexis spiritualibus per accidens.*
- 9 *Sacra Congregatio Concilii semper detestata fuit pactiones, conventiones, & venditiones juris nominandi ad Cappellanas merè laicales.*

CASUS VII.

Quidam habens Jus patronatus, seu Jus nominandi Cappellanum ad Cappellaniam A. merè laicalem, cum onere Missarum pro Clericis familiæ ex Testatoris dispositione designatam, vendidit dictum jus nominandi Cajo pretio centum scutorum. Quæritur an hujusmodi venditio sit simoniaca?

- 1 Videtur hæc venditio esse simoniaca, licèt enim jus nominandi ad Cappellaniam hanc merè laicalem non sit in se quid spirituale, nec immediatè spirituali annexum; eo quia Cappellania merè laicalis, cui est annexum jus nominandi, non est in se spiritualis, sed sunt bona quædam merè temporalia destinata pro celebratione Missarum non spiritualizata ab Ordinario mediante erectione in titulum Beneficii, cujus sunt capaces etiam laici, ut superius dixi *Can. IX. X. & XI. Caf. X. num. 21.* nisi ex dispositione Testatoris sit pro solis Clericis relicta; ut in præsentiarum, tamen est mediatè annexum rei spirituali, videlicet mediante Cappellania, quæ habet annexa onera Missarum, & Clericatus, quæ in se sunt spiritualia, *Fagnan. in cap. cum pridem de pactis num. 98.*
- 2 adedque quisquis illud vendit simoniacus est, dum simonia non solum committitur in spiritualibus, sed etiam in spiritualitati annexis, ad *Text. in cap. si quis objecerit l. q. 3. in cap. questum de rerum*

permutat., & cap. præterea de transact. Roman. cons. 368. Lambertin. de jurepatr. lib. 1. par. 2. q. 5. art. 1. num. 2. Rodan. de simon. par. 3. cap. 13. num. 10. Gratian. dissect. forens. 110. num. 7. & seq., & decis. March. 26. num. 12. Rot. decis. 396. num. 6. coram Pamphil.

- 3 Et patet in Officio Custodis, & Sacristæ, quod licèt in se nil spiritualitatis habeat, itaut etiam laici sint illius capaces, tamen qui illud vendit, committit simoniam, juxta *Text. in cap. Salvator l. q. 3. Fagnan. in d. cap. cum pridem de pactis n. 17.* Ita & si jus nominandi ad Cappellaniam merè laicalem sit in se merè temporale, tamen ejus venditio erit simoniaca. Ratio est, quia Cappellania merè laicalis habens annexum onus Missarum, aut Clericatus, utcumque sit res temporalis est tamen materia Ecclesiastica, ut dixi *dicto Caf. X. num. 25. ubi supra;* adedque jus nominandi ad illam erit invendibile, absque simonia, cum hæc committatur non solum in spiritualibus, aut spirituali annexis, sed etiam in omni administratione rei Ecclesiasticæ, juxta *Gloss. in d. cap. Salvator l. q. 3. verb. Et Judicem ibi. Quod in omni administratione rei Ecclesiasticæ committitur simonia, si ematur.*
- 4

- 5 At his non obstantibus censeo venditionem juris nominandi ad præfatam Cappellaniam, non esse propriè, ac strictè simoniacam, præsertim ad effectum incurrendi pœnas Simoniacis infixas. Quoniam quamvis jus nominandi ad Cappellanas collativas, seu ad Beneficia Ecclesiastica vendi, & emi non possit absque labe simoniæ, juxta dispositionem horum *Canonum*, tamen jus nominandi ad Cappellanas merè laicales, seu ad legata pia cum onere Missarum, sicuti etiam jus nominandi adolescentes in Collegio, aut puellas pro consecutione dotis, potest in alium transferri mediante pretio absque incurfu simoniæ. Ratio est, quia cum hujusmodi Cappellaniæ non sint erectæ auctoritate Episcopi, nec sint collativæ, nec quid spirituale, aut spirituali per se annexum, sed sint merè administrationes bonorum laicalium sub pia dispositione Fundatorum, & ejus hæredum, seu successorum, qui tales Cappellanas dare possunt sine consensu Episcopi, quibus voluerint, dummodo sint idonei, juxta præscriptum eorum-

rumdem Fundatorum: Jus nominandi ad illas dici non potest spirituale, nec per se spirituali annexum, sed est quid merè temporale, & laicale, & consequenter esse poterit in commercio hominum, & de eo, sicut etiam de ipsismet Cappellaniis merè laicalibus, fieri transactiones, & pactiones absque vera simonia, ut tuentur *Gibballin. de simon. quest. 20. consecr. 6. Gonzal. in cap. Insnuat um nu. 8. de simon. Gonzal. ad regul. 8. Cancell. glos. 5. num. 25. Valleron. de transact. tit. 3. qu. 6. num. 27. Castill. de Alimentis cap. 7. num. 14. S. Si ergo tom. 8. R.P.D. meus Petra in Comment. ad Constit. VII. Eugenii IV. num. 21. tom. 4. pag. mihi 503. Rot. decis. 365. num. 2. par. 2. diversif., & decis. 101. num. 2. coram Duno., & decis. 125. num. 4. coram Penia.*

- 6 Non obstat, quòd jus nominandi ad dictam Cappellaniam merè Laicalem sit saltèm mediatè annexum rei spirituali, nimirum mediante eadem Cappellania, quæ habet annexum onus Missarum, ac Clericatum: Etenim dupliciter considerari potest annexio alicujus rei spirituali, e. g. Clericatus nimirum *necessariò per se, seu per identitatem, vel quasi* (ut dicuntur annexa omnia Beneficia Ecclesiastica, & jus præbendæ Clericatus) & *per accidens*. Jus nominandi ad hanc Cappellaniam non est mediatè annexum necessariò & per se, sed tantùm per accidens rei spirituali, quia Cappellania est annexa oneri Missarum, & Clericatus solum per accidens, ex voluntate scilicet Fundatoris, qui sicuti ei annexit onera Missarum, & Clericatus, ita poterat illa non annexere, & proinde vendere jus nominandi ad hanc Cappellaniam, & si mediatè annexum rei spirituali, tamen non erit verè, & propriè simoniacum, cùm simonia vera, & propria committatur in spiritualibus annexis per se, & non per accidens *Fagnan. in d. cap. Cum pridem de pactis n. 109. R.P.D. meus Petra in Comment. ad d. Constit. VII. Eugenii IV. n. 21. tom. 4.*

Nec adversatur paritas ex Officio Custodis, & Sacristæ deducta, quia hujusmodi Officium est per se materia Ecclesiastica, & per se est administratio rei Ecclesiastica; At jus nominandi ad Cappellaniis merè laicales, sicuti ipsæmet Cappellaniæ merè laicales non sunt materia Ecclesiastica, & administratio rei Eccle-

siastica per se, sed per accidens ex libera voluntate Testatoris. Unde non mirum, si vendere dictum Officium sit simoniacum, non verè sit propriè simoniacum, vendere hujusmodi jus nominandi.

- 8 Verùm quamvis vendere jus nominandi ad Cappellaniis merè laicales non sit propriè actus simoniacus, tamen est actus irreligiosus, & impropiè, ac similitudinariè simoniacus, eo quia originem habet ex avaritia, & ex turpi lucro, quod est radix simoniæ, ut optimè *Barbos. in d. cap. Salvator 1. q. 3. num. 7. Valleron. de transact. tit. 3. q. 6. num. 31.* & uti talis est omnino detestandus, & reprobandus, & defacto Sacra Congregatio Concilii semper detestata fuit hujusmodi pactiones, conventiones, & venditiones juris nominandi ad Cappellaniis merè laicales, ut in *Viterbien. 15. Januarii 1661. & in Vercellen. Beneplaciti 27. Aprilis 1709.* ubi fuit denegata approbatio Apostolica cujusdam conventionis, qua cedebatur jus nominandi ad Cappellaniam merè laicalem mediante pretio, & in *Spoletana Cappellania 15. Novembris 1710.* ubi reprobata fuit concessio Cappellaniæ merè laicalis favore cujusdam, qui ut ad eam nominaretur donavit Patrono certa bona.

ARGUMENTUM.

Emens Universitatem bonorum principaliter, ut emat Juspatronatus ei annexum, an incurrat in pœnas Simoniacis inflictas, & quæ sint hujusmodi pœnæ?

SUMMARIUM.

- 1 *Simonia mentalis committit ille, qui præstat obsequium Patrono, cum intentione ut præsentetur, aut ei relinquatur juspatronatus.*
- 2 *Simonia mentalis solum punitur à Deo, & non ab Ecclesia.*
- 3 *Emens Castrum cum intentione principaliter emendi juspatronatus, si hæc intentio, seu voluntas sinit in finibus pure, & simplicis voluntatis non incidit in pœnas Simoniacis inflictas, secus si hæc intentio, seu voluntas per aliquod signum externum manifestetur. num. 4.*
- 5 *Pœna contra vendentes, & ementes juspatronatus per se quanam sint? Vide ibi, & num. 11.*

Emens,